Lane Medical Library

DE

QUIBUSDAM PARTUS PRAEMATURI PROVOCANDI METHODIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS OBSTETRICIA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XIV. M. APRILIS A. MDCCCLXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRANCISCUS FLORENTIUS STRICKER

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

F. MUELLER, MED. ET CHIR. DR.
H. GUTSCHOW, MED. ET CHIR. DR.
A. ELERT, JUR. CAND.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

HASCE

STUDIORUM ACADEMICORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Sine dubio partus praematuri artificialis operatio est una omnium praeclarissima in arte obstetricia, nam id spectat, ut aut mater aut foetus aut uterque omnibus in casibus periculosis servetur, et quid est clarius medico obstetricio? Doctrina autem artis obstetriciae initio demum saeculi praeteriti originem cepit. Itaque nemo possit admirari, quod haec operatio tam nova sit. Primum ab Anglis inventa et saepius feliciter facta brevi tempore ab clarissimis hujus nationis medicis probata est. In terra autem continente introductionem hujus novae inventionis medici omni modo prohibuerunt. Maxime vero Francogalli Le Sue et Baudelocque senior eam nulla ratione eventus prosperi habita condemnarunt et eadem naturae familiaeque jura sanctissima violari censuerunt. Longum est, hoc loco hujusmodi verba refutare, quare provoco ad scripta auctorum, ut Denman, Wenzel, Reisinger, in quibus magna partus praematuri artifi-

cialis utilitas permultis exemplis et observationibus maxime comprobatur. Stoltz, illustrissimus ille artis obstetriciae magister, hanc operationem etiam in terram Francogallicam traduxit. Neque minus scriptis, quae modo allegavimus, editis operationis utilitatem nostri quoque medici obstetricii explorare eaque quam saepissime uti coeperunt.

Multae methodi sensim sensimque tempore procedente sunt inventae partum praematurum excitandi et, quum hac dissertatione de singularum usu utilitateque scripturus sim, certe permagni interest, me propria experientia eruditum judicare; attamen pauci modo casus me adjuvant, in quibus partim in praxi patris, medici experientissimi, partim in nosocomio caritatis Berolinensi Cel. Schoeller duce, professore artis obstetriciae praeclarissimo, haec operatio facta est. Methodos autem, quibus nostris temporibus medici aut non jam utuntur aut raro tantum, paucis solum verbis commemorabimus.

Methodus vetustissima dolores itaque partum praemature excitandi punctio est velamentorum ovi ab Anglis in artem obstetriciam introducta, accuratius tamen anno demum milesimo septingentesimo nonagesimo nono a Scheel descripta et comprobata. Liquore amnii et ita uteri cavo imminuto et foetus conjunctione cum illo ex parte destructa dolores semper existere constat. Multi vero, qui omnibus in casibus statim, postquam velamenta ovi sint puncta et aquae effluxerint, partum dicunt incepisse, errant, neque satis observasse mihi videntur; immo saepius nonnullis demum diebus post orificium uteri aperiri viri illustrissimi doctissimique contendunt. Plurimis autem in casibus, de quibus egomet ipse legi, partus celeriter ad finem perductus est, neque ulla est methodus, quae illam celeritate aequiparet. Imprimis tamen pericula sunt commemoranda, quae in hac operatione foetus vitae minantur. Siquidem foetus situs est perversus,

aquis effluentibus sane perdifficiliter, aut omnino non corrigi potest. Deinde, si partus non celeriter effici potest corpore foetus firme circumvoluto et compressione, qua fit, ut circulatio sanguinis in placenta funiculoque umbilicali impediatur, mors saepissime mox incidit. Sententia vero quorumdam auctorum, qui uterum dicunt hac operatione facile laedi posse, mihi non vera videtur, vel potius medicus est vituperandus, qui instrumenta ad hanc rem constructa sine ratione et consilio induxerit, quamquam etiam negare non possum, interdum medicos peritissimos sine ullo artis vitio eventum non prosperum habuisse. Itaque in uteri cervice nondum aperta, longa, male vergente, quae saepissime apud primiparas invenitur, caveat quisque, ne hujusmodi operationem suscipiat. Sin autem aliis methodis mitioribus adhibitis, quibus uteri cervix et orificium aperta sunt, dolores ad partum non satis fortes effici possint, punctionem fieri licet. Ut velamenta ovi non laedantur et liquor amnii exstet, ad eventum prosperum permagni interesse liquet. Unde facile intelligi potest, cur medicis instrumentis, quorum id, quod Meissner adhibuit, maxime notum est, velamenta ovi loco altiore aperire studuerint. Amplificatione ac normali orificii et cervicis uteri situ neglectis hac ratione laxa uteri cum velamentis con-

junctio et placenta normaliter affixa ponitur, quae res non ita facile cognosci possunt.

Hac de causa et uteri et foetus violationum illi etiam casus, qui in schedis statisticis perscripti sunt, satis refutantur. Nostra aetate ista instrumenta oblivioni data sunt, nec haec agendi ratio, nisi forte, quod matri periculum imminet, uterus cito evacuandus est, propter successus securitatem adhibetur.

Anno milesimo octingentesimo vicesimo Bruenninghausen aliam proposuit rationem oris uterini amplificationem spongia compressa efficiendi, cujus utilitatem atque successus prosperos cognoscendi occasio mihi ipsi oblata est. Uteri et cervicis et oris affectione mechanica ita adducta contractiones uteri proferuntur et partus consequitur, qui partum sponte ortum plane adaequat. Utrum recte, an secus haec methodus a plerisque medicis obstetriciis aetate recentissima reprobata sit, dijudicare non audeo equidem. Attamen, quin ea propria sine praeparatione et sine mulieris molestia nunquam adhiberi possit, non est dubium. Commemoraverim tantum maximam spongiae compressae inducendae difficultatem apud primiparas, angustum uteri orificium, portionis vaginalis statum abnormem. Huc accedit, quod non raro effectus sero apparet atque eam ob causam mulier, ut longum per tempus in

lectulo cubet, cogitur, quae res praecipue apud homines loco humili natos respicienda est. Hanc vero agendi rationem crebro a fine plane aberrare propterea infitior, quod, etiamsi dolores vim necessariam non assequebantur, bona semper alius rationis, praecipue punctionis velamentorum ovi est praeparatio. Ceterum sine ullo successu tantum esse potest, si, id quod non crebro fit, spongia compressa nescio qua de causa non satis extenditur et, quamquam usitata firmamenta sunt adhibita, ex orificio excidit. Sed contra ea dicendum est, recentem spongiam compressam in urbibus majoribus commode suppetere et ab omni medico in arte obstetricia valde occupato facile comparari posse. Neque nego equidem, spongia compressa adhibita immodicam cervicis uteri irritationem doloresque vehementissimos interdum oriri, sed nonne etiam tunc satis est temporis viam ineundi aliam? Minoris momenti esse videtur, quod imbibendis vulvae humoribus spongia odorem malum accipit. Hujus igitur methodi commoda in eo sunt posita, quod saepe dolorum efficacitas brevi tempore certe paratur ac velamenta integra manent, ne in partu ipso retardato foetus damnum capiat, et quod denique in situ vitioso liquoris amnii praesentia operatio fortasse necessaria multo facilior redditur. Hanc igitur agendi rationem

illi, quam supra commemoravimus, longe praestare sat dilucidum est. Quoniam in nosocomio caritatis Cel. Schoeller duce partui sic provocato, qui post viginti quattuor horas ad finem erat perductus, interfui, quam bona atque idonea haec operatio sit, ipse perspexi cognovique.

Quum recentiores medici obstetricii studio perquam laudabili contenderent, ut, quae rationes ad partum praematurum arte instituendum spectant, eas in dies ad majorem perfectionem adducerent, factum est, ut Schoeller anno milesimo octingentesimo quadragesimo altero vaginae tamponationem excogitaret. Initio igitur tampone in vaginam inducto partus praematurus commotus est, deinde vero Hueteri consilio vesica vitulina, quae aqua immissa extendi potest, posteaque colpeuryntere a Braun invento. Ex hujus apparatus commodis, quae Braun (in histor. medic. ephem. T. VII. Vindob. 1851) commemorat, haec afferam:

a) Colpeurysis est simplicissima, nec molesta, nec diuturna, nec cum rebus periculosis connexa; irritationem nervorum uteri gradatim augeri concedit assiduamque dolorum efficientiam adducit.

b. Si apparatus accurate impletur interdumque mutatur, si pressio partis vaginae infimae vitatur, ejus usus non est dolorosus.

c. Orificium uteri doloribus excitatis paucis horis plerumque aperitur.

d. Nec genitalia nec ovi velamenta violari possunt, neque a foetu ipso quidquam detrimenti capi potest.

Ex his, quae modo attulimus, colpeurysin liquet propter majorem usus facilitatem spongiae compressae et simul cum hac propter aquarum conservationem punctioni nobis praeponendam esse. Quod vero nimium opus est tempus, dies enim quattuor vel sex praeterire, priusquam dolores incipiunt, compertum habemus, et quod dolor vaginae extensione et assidua pressione non raro adducitur atque impetus desidendi et mingendi saepe intolerabilis existit, medicorum multorum eorumque praeclarissimorum judicio assentimur, alias operationes praeferendas esse. Denique vaginae irritatione in pluribus sat confirmatis casibus vehementem vaginitidem et ulcerationes puerperales prolatas esse silentio praeterire non possum. Sed quia hujusmodi morbos sola irritatio longum per tempus continuata secum ducit, semper haec methodus bona praeparatio punctionis uteri, injectionis spongiaeque compressae judicari potest.

Anno 1846 Kiwisch, praeclarissimus ille medicus obstetricius, injectionem aquae vel frigidae vel calidae

adscendentem praecepit, ut novam, tutam bonamque rationem partus praematuri instituendi. Ad hanc tamen operationem exsequendam medicum apparatum injectionis amplissimum habere necesse esse de Scanzoni existimat atque talem apparatum summo tantum cum labore transportari posse arbitratur. Cur vero, quaeso, clysiopompus, apparatus ille quidem simplicissimus, non tam facile transportari possit, quam omnia alia operationis instrumenta majora? Praeterea non modo apparatus ita constructi, ut Scanzoni postulat, non sunt necessarii, sed etiam, si omnia desunt, perfacile alio modo suppleri possunt. Spiegelberg enim in libro de arte obstetricia conscripto modum simplicissimum exposuit, quo gravida ipsa, ita ut auxilio alieno non egeat, per arundinem e conclavis tecto depromtam in vaginam et in partem uteri inferiorem aquae radium satis fortem introducere potest. Talis aquae radius et extensione fundi vaginae et uteri calefactione atque irritatione efficax est, ut plerumque jam post quattuor aut quinque adspersiones dolores ad partum idonei oriantur. Prosperi effectus pars certe eo efficitur, quod copia aquae exigua in uteri cavernam intrat et velamenta sejungit. Quodsi hanc agendi rationem ter sine successu se adhibuisse Scanzoni ait, imprimis memorandum est, omnem rationem

in casibus singulis nihil valere, et quoniam Scanzoni hac operatione certe frequentissime usus est, tantum abest, ut parvo numero exituum non opportunorum illius insufficientia declaretur, ut ejusdem illustretur praestantia. Insuper his in casibus maximi foret momenti, si Scanzoni de parturientium suarum constitutione ac viribus verba fecisset, quod hanc methodum valde mitem apud feminas torpidas, robustas rudesque non sufficere patet. Eo igitur est mirabilius, quod Scanzoni nonnullas feminas injectiones quotidie repetitas ferre non potuisse et identidem sub hac operatione vehementes vasorum motiones, febris impetus animique deliquia se vidisse refert. Quibus conditionibus hae res incommodae sint adductae, nescio, nisi forte injectiones nimis diu ac violenter factae sint. Deinde Diesterweg Berolinensis hac operatione foetus vitam in periculum vocari affirmavit. Hic quidem animadvertit, ex uno et viginti foetibus Kiwischii usu injectionis praemature natis undecim partim mortuos in lucem editos esse, partim octo diebus proximis obiisse, postquam asphyctici vel parum viventes nati sint, quum ex viginti foetibus usu veterum rationum praemature natis tantum sex vita sint privati. Quia scriptorum societatis illius, cujus studium ad artem obstetriciam spectat, pars quarta, qua Diesterweg has animadver-

siones divulgavit, mihi non praesto est, num veteres rationes, quae apud illos viginti infantes adhibitae sint, nominatim indicaverit, comperire non potui.

Spongiae compressae aut colpeurynteris usui Scanzoni opponit, genitalium hyperaemiam inspersione aquarum adductam causam mortis proximam esse, quod mihi improbandum videtur. Diesterweg medicorum animos in hanc rem convertit, quoniam ex casuum numero admodum exiguo nemo certas conclusiones facere, nec scire possit, quantum hac in re fortunae tribuendum sit. Num notae statisticae in ultimis decem annis de hac re sint compositae, affirmare non ausim, quia nihil compertum habeo, sed auctore Kiwisch embrocationem adscendentem etiam hodie egregiam partus praematuri arte efficiendi rationem judicari ex nonnullis locis librorum et a Naegele et a Spiegelberg conscriptorum satis superque apparet. Naegele ait: „Oft ist schon nach der ersten oder zweiten Douche eine auffallende Erweichung und Auflockerung des Scheidentheils, reichliche Schleimsecretion in der Vagina und Anspannung des Muttergrundes wahrzunehmen. Wir haben selbst bei Erstschwangeren schon nach der vierten oder fünften Douche regelmässige Wehen auftreten sehen. Sobald dies der Fall ist, wird die Douche ausgesetzt. Bei torpiden Subjecten

und geringem Erfolg des Mittels, sowie da, wo Eile Noth thut, kann man die Wirkung dadurch beliebig steigern, dass man die einzelnen Sessionen verlängert, die Pausen zwischen denselben verkürzt, die höhere Temperatur des Wassers wählt“ etc.

Spiegelberg: „Durch den Wasserstrahl, inquit, wird das untere Uterinsegment auf das Schonendste vorbereitet und zur Geburt angeregt, wodurch alle anderen Vorbereitungscuren entbehrlich werden. Die Ausführung ist nicht schmerzhaft, sondern leicht und einfach. Die Anwendung erfordert jedes Mal nur kurze Zeit, die Frau kann dabei ihren Geschäften nachgehen und Verletzungen der Genitalien sind nicht zu fürchten. Da die Methode einer Steigerung fähig, so ist die Wirkung fast immer eine sichere, wie dies die Erfahrungen auch bestätigen.“

Alia methodus, quae eodem anno, quo superior, proposita est, est injectio in uteri cavum, indicata a Cohen. Sed sunt auctores inque his Scanzoni, qui hanc methodum quidem ad dolores parturientis excitandos applicari posse credant, attamen periculosiorem difficiliusque adhibendam quam ceteras putent, quum inductione canalis curvati in uteri cavum semper timendum sit, ne foetus laedatur. Sed cautione in inducendo canali adhibita talis laesio, nisi fortuna quae-

dam adversa obstet, facile evitari potest. Neque experientia, quae adhuc exstat, dubitare non sinit, quin illa methodus recta sit et praeclara. Stimulus extensionis parietum uteri mechanicae, stimulus solutionem velamentorum ovi excitans, stimulus injecta aquae copia commotus mox dolores parturientis efficiunt ac brevi tempore partus procedit. Efficacissima certe est solutio velamentorum, aqua retenta et contractionibus, quae oriuntur, omnes in partes diffusa, quo modo magis magisque fit solvens stimulusqne nervos uterinos afficiens utique fortior, quam qui embrocatione uterina et colpeuryntere adhibendo profertur. Qua re permoti complures auctores hanc injiciendi methodum propter facilitatem, securitatem, innocentiam in applicatione, celeritatem in effectu aliis praeferunt.

Quod quaestionem attinet, utrum omnibus in casibus revera injectiones in cavum uterinum factae per se ad uteri contractiones excitandas sufficiant, an effectus praeter exspectationem celer laesioni involuntariae saepe adjudicandus sit, parturientium adjutores nostri aevi illud credunt, etsi non negant, quibusdam in casibus laesionem ex canali injectionis exortam celerem effectum nonnihil adjuvisse, securitatem rati illi quidem ex majore vel minore parte liquoris post injectionem in utero remanentis plane pendere.

Illustrissimus Martin mentionem facit casus cujusdam, ubi his injectionibus aliquid aurae in cavum uterinum ingressum purulentationem placentae effecerit. Nec est infitiandum, eodem casu, si saepius accidat, hujus methodi usum vetari. Inductio autem catheteris flexibilis et ejus permansio, quam Krause laudat, revera nihil est nisi modificata injectio uterina. Aliquamdiu haec agendi ratio vetustiores methodos magis minusve ex usu prorsus expellere visa est. Porro consilium ejusmodi, ut catheter expleatur cereolo, id quod Braun praedicavit, sed jam decennio prius Lehmann Amstelodamensis fieri voluit, refellendum est, quoniam est difficilius, cereolum per uteri orificium et canalem cervicalem perducere, quam catherem semper aliquid firmitatis habentem. Hoc in eo potissimum casu accidet, si medico necessitas imposita est, apud primiparam in tempore graviditatis relative maturo agendi.

Scanzoni duos casus commemorat, ubi partus praematurus secundum Krausii methodum institutus sit et primo in casu viginti tribus, in altero triginta novem horis post primam catheteris applicationem partus finiri potuerit. Quae res comparatae cum iis, quas alii observarunt, ad celerem et tutum hujus methodi effectum comprobandum aptae sunt idque eo magis, quod eidem auctori non deerat copia aliarum methodorum

partus praematuri instituendi, veluti spongiae compressae, tamponis, colpeurysis, nervorum mammarum irritationis, acidi carbonici aquarumque injectionis, in eadem femina adhibendarum. Sed inductionem catheteris elastici vel cereoli item, ut injectiones in cavum uteri, quamquam per se artis adjumenta ad partum praematurum excitandum mitissima habenda sunt innocentissimaque videntur, tamen in casibus quibusdam (sed ut experientia docemur, tantum raro) tristissimas calamitates excitare posse observationibus ad injectiones in cavum uterinum spectantibus auctorum illustrissimorum Lack, Grenser, aliorum et ad inductionem catheteris elastici vel cereoli pertinentibus illustrissimi Hecker comprobatur. Quare cautio opus est et diligenter observandum, ubi injectiones aut cereoli inducti organismum afficiant, ne his methodis, quae per se innocentes videntur, utamur, nisi eatenus modo et tam diu, quam ad rectum partus decursum opus est et quatenus gravidae corpus irritationem mechanicam orificii uteri interni et membranae mucosae vaginalis et uterinae pati potest (Naegele).

Ex experimentis physiologicis satis constat, quaedam genera texturarum contractilium inque his texturam uteri galvanismo ad contractionem commoveri posse. Qua re adductus Schreiber, nisi fallor, primus

consilium cepit galvanismo partum praematurum provocandi. Venit mihi in mentem unius solum casus, de quo legi in ephemeridibus, quae inscriptae sunt: „Neue Zeitschrift für Geburtskunde von Busch“ etc. Sed nihil illo casu probatur, nisi partum galvanismo in usum vocato post mechanicam spongiis compressis dilatationem orificii perfectum esse. Applicatio galvanismi postquam (hunc solum casum, ut jam dixi, respicio) vix partem horae centesimam duravit, dolor longus et fortis ortus est, qui toties est renovatus, quoties electromagnetismus applicatus, id quod, quia gravida perferre non poterat, cum multis et longis intervallis vix unam per horam factum est. Quo tempore peracto tantum partus processit, ut velamenta ovi, quae etiam tempore doloribus vacuo valde intenta erant, magna ex parte in vagina inessent. His diruptis vix hora dimidia post per paucos dolores spontaneos puer vivus natus est. Ut praetermittamus, hoc modo orificium aperiri posse, id quod fieri necesse est, si electricitas solum uteri fundum afficit, tamen illa affectione galvanismus, etsi partum tantummodo perficiens antegressa dilatatione mechanica, tantum valet, ut ejus usus dignus sit, qui in numerum methodorum in ejusmodi operationibus usitatarum referatur.

Eo etiam in casu, ubi ob quemdam gravidae mor-

bum praeparatio dolorum prohibeatur et foetus ex utero ejectio solum efficienda sit, haec methodus ponderis maximi esse videri potest. Quod ad hanc operationem exsequendam apparatus necessarius est, propterea illa eo magis reprobari nequit, quia nostro tempore vel maxima medicorum pars tali apparatu instructa est. Neque dolores cum applicatione juncti nos commovere possunt, ut illam methodum prorsus negligamus, quoniam chloroformium, quo nunc medici in operationibus obstetriciis utuntur, nobis praestat remedium doloribus moderandi. Nihilominus multis causis adductus, quas explicare longum est, credo nunquam fore, ut haec agendi ratio in arte obstetricia in usum communem veniat, id quod verum esse nos censere oportet, si respicimus, quantum usus galvanismi ex tempore inventionis adhuc processerit. Praecipue id confirmat Dorsington, qui electromagnetismo effecit quidem dolores, sed eos adeo tenues, ut punctione partum absolvi opus esset; item Simpson, octo in casibus eadem methodo usus, nec fortiores nec longiores dolores consecutus est.

Non nova fuit methodus partus praematuri reflexionibus a mammis instituendi, quam Scanzoni anno 1853 exhibuit, et ea quidem de causa, quod jam anno 1839 Friedrichs, etsi non, ut ille, suctoriis ad mammas ad-

hibitis, tamen alio modo, ut vesicantibus volatilibus et sinapismis idem effecit. (V. Dissertat. de nova quadam partus praematuri celebrandi methodo.) Ergo principium, quod illi operationi subest, ab hoc medico obstetricio inventum est, adjumenta autem, quibus Friedrichs usus est, quis est, qui non praecise refutet? Experientia quotidiana docemur, irritationes mammarum ad uteri contractiones excitandas et augendas valere, et unusquisque medicus cognitum habet, infantis lactentis ad mammam applicationem nonnunquam maximos dolores ad secundinas eliminandas excitare, nec minus feminas recens gravidatas, si infanti mammam praebeant, saepe abortum facere atque haemorrhagias in tempore secundinarum expellendarum aut primis puerperii horis infante lactente sisti posse. Sicut vero quamvis operationum, de quibus supra diximus, ceteris vel hoc vel illo modo anteferre possumus, ita etiam illam, quam postremo attulimus. Fieri autem non potest, quin sic uterus violetur, aut quin infanti majore vel minore liquoris amnii effusione mala parentur. Applicatio tamen non est difficilis. Praecipue autem pudor et pudicitia mulieris hac methodo nunquam, sicut ceteris, laedi possunt. Sin autem id, quod sperari potuit, non est effectum, si multis in casibus stimulatione nervorum mammae optata reactio non exci-

tata est, id non alio accidit modo, quam resistente corpore gravidae. Dubitatio vero, quam inventor hujus methodi ipse habebat, ex eo oritur, quod interdum sugentia saepius atque diutius applicata tantam congestionem ad mammas excitare possunt, ut inflammatio horum organorum in puerperio oboriatur. Itaque haec methodus, quod nonnunquam medicos prorsus fefellit atque saepius vulnera et graves dolores mammarum effecit, posterius imitanda non videtur. Possunt quidem, simulatque damnosus apparatus effectus sentitur, sugentia seponi, sed cur in modum dubium experiamur, si celeri opus est effectu? Sunt porro, qui suadeant, ut in partu praematuro primo quoque tempore excitando mitiorem minusque afficientem operationem instituamus ac tum demum, quum effectus in tempore consueto non consecutus est, ad fortiorem transeamus. Helm igitur: „Omnibus, inquit, in casibus initium faciendum est a methodo Scanzoniana, ut lenissima et simplicissima in partu praematuro et tum demum, quando illa non efficax videtur, ad aliam transeundum.“ Quocum consilio ego minime consentio, neque concedo, primo tempore semper sugentia adhibenda esse.

Neque magis ad imitationem nos invitant acidi carbonici inflationes in vaginam ad dolores excitandos, quas primum Scanzoni praecepit, praesertim quum, ut

experientia edocti sumus, facillime graves periculosique casus timendi sint.

Ex methodis ab aliis praescriptis, quae quidem ab illis, quas supra descripsimus, longe superantur, neque institui possunt, nisi raris quibusdam in casibus, laudaverim Hamiltoni et Rieckii, quorum alter velamenta ovi a superiore uteri parte cathetere, alter digito solvit, sicut Hartingii et Simpsoni injectiones in vaginam vel orificium siphone communi faciendas, et fundi uteri frictiones a tegumentis externis secundum Alsamer et d'Outrepont. Alias tamen dolores hisce modis excitati non satis sunt fortes et mox desinunt, simulatque adjumenta intermittuntur; alias saepissime nihil efficiunt nisi majorem secretionem in partus viis et exiguam cervicis uteri; alias quamdam postulant orificii dilatationem (Spiegelberg).

Hae sunt singulae methodi partus praematuri instituendi. Jam quaeritur, quanam medicus utatur, quaenam sit maxime tuta atque optima. Bonum foret totaque operatio supervacanea, si materiis pharmaceuticis dolores salubres et permanentes commoverentur. Sunt quidem, id quod antea commemorare praetermisi, tales materiae exhibitae, in quibus praecipue secale cornutum a Bongiovanni praescriptum. Sed tam effectu sunt dubio, quam matri et infanti, id quod

maxime spectare debemus, si, ut opus est, copiosae dantur, nocentissimae. Semper animo teneamus necesse est, secale cornutum nunquam porrigendum esse, nisi partus mox finitus prospici potest, aut facili infantis amotioni mechanicae quidpiam obstat. Etenim si secali cornuto fibrae uteri violenter et assidue adstringuntur, vasa comprimunt, circulationem magis minusve in placenta inhibent atque in infante et in funiculo umbilicali impediunt, unde periculum evadit, ne, ubi tali modo partus retardatur, infans mortuus nascatur.

E numero autem ecbolicorum hic memoraverim boracem, cinnamomum, cannabim Indicam, quae quidem, quod notum est, effectu a secali cornuto superantur, quamobrem recte nostris diebus fere nunquam admittuntur.

Quod ad reliquas pertinet methodos, haud obliviscendum est, hic semper, ut ubique in medicina, actionem casibus singulis accommodandam esse, neque omnem notam agendi rationem omnibus in casibus effectum eundem habere. Ita magnum exemplorum numerum afferre possum, ubi variis methodis deinceps frustra usurpatis partus postremo naturae permissus est, sicut magnam casuum seriem, ubi altera ratio nihil valebat, dum altera efficax inveniebatur. Ergo

Naegele recte judicavit, unam methodum optimam et omnibus in casibus efficacem neque esse neque fore.

Propter effectum tamen praestantiorum proximis annis in plurimis institutis obstetriciis et in praxi privata a medicis lavatio uteri, injectio uteri per spongiam compressam, inductio catheteris flexibilis usurpatae sunt.

Restat, ut de partus praematuri artificialis causa conditionibusque nonnulla verba faciamus. Tempus hujusmodi operationis, id quod in morbis gravidae satis patet, ex vita foetus continuanda pendet. Neque minus constat, hebdomadem vicesimam nonam usque ad tricesimam septimam optimum maximeque idoneum esse tempus. Quum autem foetus sensim sensimque vim vivendi majorem accipiat, quo diutius in uteri cavo remanet, infantem, nisi quid obstat, quasi tempore normali natum habere possumus. Attamen non oblivi-scendum, eo etiam pericula foetus parturientisque in partu ipso crescere. Sin autem medicus obstetricius perversum fructus situm cognovit, ei correctionem foetus spontaneam speranti operationem nonnullis diebus differre licet.

Deinde multis ab medicis ad partum praematurum artificialem exsequendum variae praeparationes propositae sunt. Neque nobis negare licet, in quibusdam methodis tales praeparationes non parvi esse momenti, velut in punctione velamentorum ovi, aut in orificio uteri spongiis compressis dilatando. Haec praparatio venit naturae auxilio, quae et ipsa partum non subito adducit.

Spectat vero praeparatio ad diaetam aptam utilemque et ad clysmata applicanda imprimisque ad lavationes saepius adhibendas, quae per tempus longum institutae summo jure adjumentum ad prosperum partus eventum excellens habentur. Haecce omnia leni mitique ratione uteri contractiones excitant et ad laxationem atque emollitionem cervicis uteri ac vaginae genitalia sunt aptissima (Naegele). Quod ad venaesectionem frictionesque fundi uteri pertinet, eae partim non innoncentes, partim supervacaneae mihi videntur. Ceterum si fieri potest, eodem tempore praeparatio incipienda est, quo alias menses existere solent.

Prognosis autem partus praematuri artificialis circa gravidam est optima, quoniam matri eo minus periculum aliquod imminet, quo celerius uterus contrahitur et foetum ejicit inque lucem edit; circa foetum tamen prognosis est dubia, saepenumero etiam mala,

quum facile complicationes pessimae existant, quae, ut situs obliquus aut omnino perversus, alias insuper operationes postulant.

Indicationes partus praematuri artificialis accuratius describere longum est. Solum igitur angustias pelvis gradus majoris, fructus mortem habitualem, gravidae morbos, qui omnibus remediis therapeuticis frustra adhibitis vitae matris itaque etiam foetus maxime perniciosi sunt, memorata volo. Naegele complurium hujus generis operationum mentionem facit. Item Costa narrat, gravidam, quae aneurysmate cordis affecta suffocatione vitam perditura erat, partu praematuro mense graviditatis octavo effecto simul cum infante servatam esse. De Siebold operationem fecit, quia hydrope immenso periculum suffocationis imminebat, mense graviditatis octavo exeunte; infans est servatus, sed puerpera die undecimo mortua. Grenser partum praematurum apud mulierem hypertrophia cordis, morbo Brightii et hydrope moribundam provocavit, quo puer vivus natus et puerpera diu bona valetudine gavisa est. Basedow feminam cholera Asiatica valde laborantem partu mense graviditatis nono commoto servavit. D'Outrepont, Mai, Ritgen, Carus partum praematurum apud mulieres phthisicas prope perditas, in hysterocele, prolapsu uteri, metrorrhagiis

aliorumque organorum haemorrhagiis fieri optimum fore putarunt. Quae quum ita sint, multa quidem contra partum praematurum artificialem dici possunt, attamen et prosperum aliquando successum illo adductum esse certissime constat.

VITA.

Natus sum Franziscus Florentius Stricker die IV mensis Februarii anni MDCCCXLII Allendorpii, in parvo Guestphaliae oppido, patre Gustavo, matre Carolina e gente Iskenius, quos parentes dilectissimos ut Deus O. M. adhuc longum per tempus mihi servet, quotidie precibus intimis oro. Fidei addictus sum catholicae. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Tremoniense, quod auspiciis Cel. Hildebrandt etiamnunc floret, novem per annos frequentavi. Testimonio maturitatis academicae instructus tempore paschali anni h. s. LXII inter cives academiae medico-chirurgicae militaris ab Ill. Virchow, decano spectatissimo, receptus sum, ubi per octo semestria Ill. Grimm directore, Cel. Elsholtz subdirectore hisce interfui scholis

Philosophicis: Ill. Braun de botanice; Ill. Dove de physice; Beat. E. Mitscherlich de chemia anorganica; Ill. G. Rose de mineralogia; Ill. Peters de zoologia; Cel. Werder de logice, de psychologia; Exp. Sonnenschein de chemia organica, de forensi, de pharmacia.

Medicis: Ill. Schultz-Schultzenstein de encyclopaedia medica, de pathologia et therapia generali; Cel. Lieberkuehn de osteologia et syndesmologia, de anatomia organorum sensuum; Ill. Reichert de anatomia speciali, de cerebrali, de anatomia comparata, de histologia, de embryologia, de physiologia generationis; Ill. du Bois-Reymond de physiologia et diffusione; Cel. Troschel de fracturis et luxationibus; Cel. de Lauer de semiotice, de therapia generali; Cel. Boehm de morbis dentium, de ophthalmologia, de

aciurgia; Cel. Schoeller de arte obstetricia; Ill. C. G. Mitscherlich de materia medica, de medicamentis excitantibus; Cel. Liman de medicina forensi; Ill. Virchow de anatomia pathologica, de pathologia generali; Ill. Hirsch de historia medicinae, de morbis endemiis et epidemiis, de pathologia et therapia speciali; Ill. Frerichs de pathologia et therapia speciali; Ill. de Langenbeck de aciurgia; Ill. Juengken de chirurgia, de corporis humani laesionibus; Cel. Elsholtz de delectu tironum, de morbis simulatis et dissimulatis; Exp. Burchardt de morbis syphiliticis, de morbis cutaneis.

In exercitationibus practicis duces mihi fuerunt: Cel. Boehm in operationibus chirurgicis et ophthalmiatricis; Ill. Reichert in arte cadavera secandi et microscopio utendi; Cel. Schoeller in operationibus obstetriciis; Exp. J. Meyer in arte auscultandi et percutiendi; Cel. Troschel in fasciis applicandis; Cel. Liman et Cel. Skrzeczka in medicina forensi.

Scholis clinicis interfui medicis Ill. Frerichs, Cel. Traube, Exp. Ebert; chirurgicis Ill. Juengken, Ill. de Langenbeck; ophthalmiatricis Cel. Boehm, Ill. Juengken, Cel. de Graefe; obstetriciis Cel. Schoeller; syphiliticis Exp. Lewin.

Quibus viris omnibus de me optime meritis gratias ago semperque habebo quam maximas.

Jam tentaminibus et physico et medico, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine superatis spero fore, ut hac dissertatione cum adjectis thesibus publice defensa summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

I. Ferrum candens est optimum tumorum haemorrhoidalium remedium.

II. Jus vitae ac necis competit medico in partu.

III. Punctio vesicae urinariae prorsus rejicienda.

IV. Chloroformii usus apud parturientes non est repudiandus.